NAUICULA PETRI

NIKOLA MODRUŠKI

Napomena priređivača:

Rad o životu i spisateljskoj djelatnosti Nikole Modruškoga što sam ga objavio prije gotovo trideset godina (»Nikola Modruški«, u: *Prilozi za istraživanje hrvatske filozofske baštine* 3–4, Zagreb, 1976, str. 145–156) temelji se na rezultatima dotadašnjih istraživanja. Međutim, nakon kasnijih traganja došao sam do nekih novih i javnosti nepoznatih spoznaja koje se odnose ne toliko na Nikolin vitae curriculum koliko na njegovu spisateljsku i prevodilačku djelatnost. Ovdje prilažem transkribirani tekst Nikolina filozofskog rukopisa *Nauicula Petri* (što se čuva u Arhivu HAZU) uz koji sam u bilješkama naveo izvore koje autor u tekstu citira.

Nicolai Modrussiensis

Nauicula Petri

Nauicula Petri periclitatur in fluctibus, atque usque in hodiernum diem recto Dei consilio fluctuat; neque enim aliud, teste Ambrosio, nauicula Petri designat, quam fidelium coetum seu congregationem, quam usitato uocabulo ecclesiam appellamus. Soli quippe Simoni dictum est: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam![1] Quam Matthaeus in medio maris positam varijs exagitari fluctibus iure describit,[2] quoniam diuinae iusticiae sectatores in periculosissimo huius mundi pellago sitos necesse est; et uiciorum aestibus et domesticorum externorumque hostium diuersis insidijs ac insultibus fatigari.

---

[1] Matth. 16,18.

[2] Matth. 8,16.

Neque id dormiente Deo, ut quidam rati sunt, qui eius prouidenciam e rebus humanis tollere consueuerunt uerum et uigilante et uolente, quod utique ipse Dominus per Prophetam testatur. Ego – inquit – dormio, et cor meum uigilat.[3] Dormit enim de Epicuro et Heraclito Deus, qui fato omnia agi putauerunt. Sed Salomoni uigilat, qui a Domino egredi censet iudicium singulorum. Itidem et alijs omnibus uigilat, quicumque Deum et rectorem et conditorem uniuersorum profitentur, nec capillum capitis inuito ipso in terram decidere.[4] Sed et alijs Dominus falsa quadam aut religione aut pietate dormire uidetur, quibus Deum alicuius mali auctorem asserere, summa religio est. Permittit Deus, inquiunt, malum, sed non facit; quos tamen ipse, per Ysaiam arguit, dicens: Ego dominus, et non est alter formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum, ego dominus faciens omnia.[5] Ut Job in tantis malis positus cur Deo gracias agebat dicens: Si bona de manu Domini suscepimus, mala autem quare non recipiemus?[6] Et iterum: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.[7]

Irrisoria siquidem esset illa graciarum actio – ut inquit Augustinus[8] – si ex hoc graciae aguntur Deo, quod non donauit ipse, nec fecit. Aut Psalmista de preuaricatoribus legis cur diceret: Misit in eos iram indignacionis suae.[9] Iram et indignationem, et tribulationem, inmissiones per angelos malos. Et rursum: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt uerbum eius.[10] Et in Lege ueteri quare tanta mala patribus nostris Deus, et minitasse et intullisse scriberentur, nisi ipse auctor fuisset? Nonne antequam terra Chore, Datan et Abiron absorbisset,[11] Dominus Moysi iusserat dicens: Precipe populo uniuerso ut separentur a tabernaculis Chore, Datan et Abiron; quo facto mox terra dehiscens uiuos omnes absorbuit.[12] Similiter et sequenti die, cum Dominus propter iniustam populi murmurationem cum igne consummere decreuisset, nonne Moysi ait: Recedite de medio huius

---

[3] Cant 5,1.

[4] Luc. 21,18; Act. 27,34.

[5] Isai. 45,7.

[6] Job. 2,10.

[7] Job. 1,21.

[8] S. Aurelii Augustini Hipponensis episcopi, *De gratia Novi Testamenti,* seu *Epistola* CXL., c. 13.

[9] Ps. 77,49.

[10] Ps. 148,8.

[11] Ps. 105,17.

[12] Num. 16,24.

multitudinis,[13] quia nunc etiam delebo eos. Et e uestigio incendium uastare coepit populum. Cui Aaron cum thure non tam maturate occurrere potuit, quin quattuordecim milia hominum et septingenti, ab igne absorberentur.

Longum foret et alias plagas, et urbibus et populis priuatisque hominibus et magistratibus Deo uolente ac iubente enumerare. Haec autem pauca, et testimonia et exempla, quae inducta sunt, satis docere possunt: Deo non solum permittente, sed etiam uolente ac iubente pleraque mala, immo fere uniuersa fieri. Non dicam de malo, quod peccatum est, de quo nobis grandis sermo restat, sed de illis malis nunc loquor, ut sunt: poenae, carceres, exilia, tormenta, mortes, diuersa dolorum mala et caetera id genus, quae cuncta, auctore Augustino,[14] Dei iudicio dispensantur, sed multis sunt ad probacionem, multis ad damnacionem.

Etenim quinque de causis Deus omnipotens mira quadam prouidencia mortales consueuit uexare: Quosdam enim Deus seuerius exercet, ut probatae eorum uirtuti ampliora rependat praemia. Alios tristiore cohercet disciplina, ne probitas eorum per lasciuiam affinat. Illos pro delictis uerberibus emendatos misericorditer corripit, ne in sempiternum perdat. Interdum et completi … in malicia sempiterna tormenta, quibus deputati sunt, in mortali uita incipit infligere. Nonnunquam mala inducit, quo in depellendis illis manifestiora opera sua faciat. Haec autem singula partitur certo inscrutabilique consilio, cui quae expediant, distribuendo; expedit namque uiris fortibus laudem et gloriam propria uirtute comparare. Nec in ipsis terrestrium rerum curis digne quispiam dicitur coronari, nisi qui legitime certauerit. Idcirco et apti ibant gaudentes a conspectu concilij quem digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati; sperabant, etenim post illum agonem sese immarcessibilem coronam suscepturos, ad quam promerendam strenuum quemque Petrus constanti animo hortatur dicens: In quo exultabitis modicum nunc. Sic oportet contristari in varijs tentacionibus, ut probatio fidei vestrae multo preciosior auro, quod per ignem probatur.[15] Profectus enim fidelium – ut ait Augustinus – sine tentacione non prouenit, nec sibi quisquam innnotescit, nisi probacionis examine, nec coronabitur, nisi qui uicerit, nec uincet, nisi qui certauerit; quis autem certat, nisi qui inimicum habens, tentacioni resi-

---

[13] Num. 16,21.

[14] Cf. S. Aurelii Augustini Hipponensis episcopi, *In Joannis evangelium tractatus,* cxxiv.

[15] 1 Petr. 1,6.

stit?[16] Quam ob rem pulcherrime suadet Iacobus: Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in uarias tentaciones incideritis, scientes quod probatio fidei uestrae pacienciam operatur, paciencia autem opus reddit perfectum.[17] Et Paulus: Gloriamur in tribulacionibus, scientes quod tribulacio pacientiam operatur; paciencia autem habet probacionem; probacio spem, spes uero non confundit.[18]

Libet hoc loco spectatissimum illius moralis theologi Senecae inducere testimonium, qui hac de re disputans in libris illis quos de prouidencia Dei ad Lucillum conscripsit praeclare ait: Cum mundus prouidencia Dei regnatur, quare multa mala accidant bonis uiris? Quod absoluens dicit: Bonus uir discipulus est Dei, emulatorque et uera progenies, quam parens ille magnificus uirtutum non leuis exactor, sicut seueri patres durius educant. Itaque cum uideris bonos viros acceptosque dijs laborare, sudare, per arduum extendere, malos autem lasciuire, uoluptatibus fluere, cogita filiorum esse modestia delectari, uernularum licentia. Illos disciplina tristiore contineri, horum autem audacia. Idem tibi de Deo liqueat, bonum uirum in delicijs non habet experitur, indurat, sibi illum praeparat, et post haec subdit: Miraris tu si Deus ille bonorum amantissimos, qui illos quam optimos atque excellentissimos uult esse; fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat. Ego uero non miror, si aliquem impetum capiunt. Spectant dij magnos uiros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum uoluptati est, si adolescens constantis animi instantem feram uenabulo excipit. Si leonis in cursum interritus pertulit, tantoque spectaculum est gracius, quanto illud honestior fecit. Non sunt ista quae possunt deorum in se uultum conuertere.

Haec puerilia et humanae sunt oblectamenta leuitatis; ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intensius operi suo Deus; ecce par Deo dignus uir fortis cum fortuna mala compositus, utique et si prouocauit, non uideo – inquam – quod habeant in terris Juppiter pulchrius, si conuertere animum uelit querit ut spectet Catonem partibus non semel fractis stantem nihilominus inter ruinas publicas. Huic etiam exemplum Reguli subijcit. Veniamus – ait – ad Regulum: quid illi fortuna nocuit? quod eum documentum fidei, documentum pacienciae fecit. Figunt cutem clauis et quocumque fatigatum

[16] »Et profectus fidelium sine tentatione non provenit, nec sibi quidquam innotescit nisi probationis examine. Nec coronabitur nisi vicerit, neque vincet nisi certaverit, nec certabit nisi inimicum habens et tentationi resistens.« Hervei Burgidolensis monachi *Commentaria in Epistolas Divi Pauli – In epistolam II ad Timotheum,* c. II, col. 1456C.

[17] Jacob. 1,2.

[18] Rom. 5,3.

corpus reclinauerit uulneri incumbit, in perpetuam uigiliam suspensa sunt lumina, quanto plus tormenti, tanto plus gloriae, sed utroque horum Job ille noster constantissimus spectabilius multo dedit spectaculum, multoque Deo gracius et iocundius, qui non mundi gloria accensus ueluti hij, quos modo enumerauit Seneca, sed Dei ipsius spectatoris reuerencia, spoliatus lautissima turba, charissimis filijs orbatus, uniuersa priuatus familia, esca uermibus factus atque etiam ipso omni miseriarum fundo constitutus. Inter fetores tamen et acerbissima corporis tocius uolnera gratias Deo decantabat. Vel illi tres spectatissimi pueri Annania, Azaria et Misael,[19] quale constanciae suae exemplum praebuerunt, qui potentissimi regis iussa spernentes fornacem ardentissimam subire maluerunt quam Dei omnipotentis iussa uiolare. Quid de illis fortissimis uiris fratribus Machabeis loquar? Omnibus excruciatibus, quoscumque furiosa mens Antiochi sciuit excogitare, corpora sua pro Deo, patrijsque legibus exponentibus; praecipue de illa uirgine matre eorum, quae non modo filiorum non indoluit crudelia exempla, sed uiriliter eos exhortando, ne prae diuino amore ulla dubitarent subire tormenta, ipsa quoque ob eandem causam aequo constantique animo mortem occumbere non dubitauit.[20] Quid de Susanna[21] dicam? Quae non muliebri, sed constantissimi uiri animo capitale interrita excepit iudicium, pocius quam contra legem Dei seniorum illorum libidini obtemperare. Quid de clarissimo illo gentium doctore Paulo, qui Domini testimonio uas electionis[22] meruit appellari, quanta se enumerat propter nomen Christi tormenta passum, in laboribus plurimis, in carceribus plurimis habundancius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, a Iudeis – inquit – quinquies quadragenas una minus accepi, ter uirgis caesus sum, semel lapidatus sum.[23] Ter naufragium pertuli, et alia pluraque mala, quae enumerat. Aut princeps apostolorum Petrus caeterique discipuli et amici Domini, quantas calamitates, quantas tribulaciones, quanta tormenta ac diuersi generis supplicia perpessi sunt? Et uox et tempus me deficerent, si cunctorum dilectorum Dei singulas clades et exicia uellem enumerare. Ex quo satis constare potest, quantum arguendi nonnulli sunt, qui ex plurimis, et ocio oscitantes ad caelum euolare cupiunt.

---

[19] Cf.: »Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda Danihel Ananias Misahel et Azarias … « Dan. 1,6.

[20] 2 Machab. 7,1–42.

[21] Dan. 13,22–63.

[22] Act. 9,15.

[23] 2 Cor. 11,24.

Mouenda quidem prius sunt castra, exercitus per saltus et aspera montium, sub esca et algore ducendus, multae noctes in uigilijs transigendae; sitis et inedia saepius tolleranda, congrediendum cum hoste, conserende comminus manus, audendum dextera, praebendum nudo mucroni frequencius latus, feriendus est hostis. Ita tandem triumphandum. Tempestas rectum gubernatorem, seuicta acies militem probat. Aurum igne, et uir fortis miseria examinatur, quae tamen uerius tribulacio dicitur, quippe quemadmodum messores triticum tribulando granum ex palea excuciunt, itidem et uirorum bonorum uirtus calamitatibus uarijs a uicijs purgatur. Quid ergo nunc de illis dicendum est, qui sedulis et uotis et precibus diuinas fatigare aures non cessant, petentes se a uexacionibus erripi. Numquid non id postulant: ne boni uiri fiant, ne quicquam propria uirtute a Deo promereantur? Inmemores illius: 'Beatus uir qui suffert in temptacionibus, quem cum probatus fuerit accipiet coronam, quam repromisit Deus diligentibus se'.[24] Probat enim uario examine Deus, et an digni amicicia sua sint¸ saepius experitur; non quod Deus non cognoscat quales futuri sint, cui tam uentura, quam praeterita ac instancia aeque praesencia sunt, et qui cuncta ex suo arbitrio ire iubet. Verum quo et ipsi sibi, et caeteris innotescant, eorumque uirtus et patiencia cognoscatur, quas nisi perpessis multis aduersitatibus et angustijs assequi impossibile est. Non est ergo, ut mea fert opinio, uiro bono flagitandum, ut eum Deus aduersa pati prohibeat. Caeterum pocius illud postulandum, quo in malis non corruatur. Sed uniuersa, quae mortalibus accidere possunt, magno constantique animo proferrat. Siquidem tunc demum uir bonus, constans, sanctus, uerus amicus Dei poterit appellari; tunc illam dabitur sperare salutem ac gloriam, quam et Christo, nisi passo non est data.

Oportuit enim Christum pati, et ita intrare in gloriam suam. Quod Paulus declarans apercius ait: 'Stetit Christus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis, propterea quod et Deus exaltauit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine eius omne genu flectatur celestium, terrestrium et infernorum.'[25] Oportet ergo sufferre qui desiderat regnare. Nam iuxta apostoli sentenciam si contollerabimus et corregnabimus. Verum nos, ut recte ait Augustinus, volumus gaudere cum sanctis, et tribulaciones mundi nolumus sustinere cum illis; sed recusat esse in corpore, qui odium non volt sustinere cum corpore uel capite. Nam ipse Dominus docet: Si mundus uos odit, scitote quam priorem me uobis odio habuit.[26] Et

---

[24] Jacob. 1,12.

[25] Philip. 2,8.

[26] Joan. 15,18.

hoc est, quod callidissimus hominum piscator insinuat: Christus pro nobis passus est, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius.[27] Quia, ut Apostolus monet: Si fuerimus socij passionum, erimus et consolacionum.[28] Porro, et aliam ob causam Deus uult prudentissimo consilio amicos suos aduersa pati, quod plerosque bonos uiros et justos torpere non sinit. Illos siquidem pia saeueritate, sed tristiore conpescit disciplina, ne licenciosius uagarentur, sed metu perteriti facillius uirtuti incumbant, de quorum se numero Paulus fuisse fatetur, cum inquit: et ne multitudo reuellacionum extollat me, datus est mihi stimulus carnis Sathanae, qui me colaphizet; propter quod ter rogaui Deum ut auferat a me, et dixit mihi: Paule, Paule, sufficit tibi gracia mea.[29] Virtus enim in infirmis perficitur. Eodem consilio et populum in terram promissionis adductum uidens Dominus lasciuire, iugumque Dei detractare, inimicos, quibus eos coercetur, retinuit, quia – inquit – irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum,[30] et uocem meam audire contempsit; et ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, et mortuus est, ut in ipsis experiar Israhel utrum custodiant uiam Domini et ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non. Et subdit Scriptura: Haec sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Ierusalem, et omnes, qui non nouerant bella Chananeorum, ut postea discerent filij eorum certare cum hostibus et habere consuetudinem proeliandi, quinque satrapas Philistinorum, omnemque Chananeam et Sydonium atque Eneum, qui habitabant in Monte Libano de Monte Baal, Hermonusque ad introitum hemat, diuisitque eos, ut in ipsis experiretur Israhel utrum audiret mandata Domini, quae praeceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. Callebat siquidem sapientissimus rerum Opifex populi ingenia, saepiusque periculum fecerat; quippe quamdiu iugo premebatur seruitutis frugi erat, uberioremque Deo famulatum exhibebat; sed eo deposito mox inutilis, immo uero et rebellis Domino redebatur, cui Deus non est dominus saeuirem se praebere uel patrem, uel pedagogum, ut qui sponte uirtuti negligencius inuigilabant, metu acti uehemencius insudarent. Nam et nobilior equus sub freno, uirgaque ad domini regitur imperium, quae si dehabas et ambo in discrimen adducuntur. Iuuencus, non excusso iugo, gemens utilem et sibi et domino uersabat glebam. Vitis ergo quae falcem patitur, uberiorem parit

[27] 2 Petr. 2,21.
[28] 2 Cor. 1,7.
[29] 2 Cor. 12,7–9.
[30] 4 Reg. 17,15.

fructum, at quae sponte crescit luxurians infelices producit labruscas. Prona quidem cuncta ad lasciuiam uidentur, tam autem humana mens in penuria probior quam in luxu redditur. Romanus populus, quoadusque concertantem de uirtute Carthaginem habuit, tocius honestatis ac sanctimoniae exemplis pollebat; at contra sapientissimam Catonis sentenciam in perniciem uictorum euersa cunctorum scelerum labe polutus est. Sublato enim hostili metu studia sua ad libidines et uoluptates conuerterunt, quae prius inimicorum uirtus ad fortitudinem accendebat. Marcescit enim in ocio mortalium uirtus; quod utique sancti uiri optime intelligentes spontanea sibi bella et tribulationes indixerunt, inedia, nuditate, uigilijs, uerberibus sese macerando, ut quibus Deus indulgencius pepercisset, ipsi sibi non parcerent; et intestina bella gerentes, postquam externa desunt, uirtute per lasciuiam effluere, non paciuntur; etenim nullus diligentior fideliorue humanae probitatis est custos, quam tribulacio. Hinc est, quare Deus prouidens electos suos alios summam pati sinit inopiam, alios liberis orbatur; alios infecundos, et sine prole esse; multos aduersa iugiter ualitudine laborare; nonnullos diuturnis carceribus coarctari. Istos indefessis affligi persecutionibus. Illos tiranorum uaria tormenta pati. Nouit enim apprime medicus noster optimus, quae cui ad morbum sint, quae autem ad salutem; ac pro uarijs laboribus uarias adhibere medellas. Mauult quippe dilectos suos modicum hic contristari, quam propter momentaneam laeticiam, aut prosperitatem sempiterna amittere gaudia. Sic Petrus Tito pro reparanda Petronillae sanitate intercedenti, respondisse fertur: Sic ei expedit, etenim uerebatur scitus medici nostri discipulus, ne prospera corporis ualitudo uanam pulchritudinem ad lasciuiam induceret, et pro temporali thoro aeterna perderet contibia; solent plerumque rerum successus ad interitum esse, et multi tribulationibus ad coelos euecti sunt. Propterea Apostolus ait: Cum infirmor, forcior sum.[31] Quid ergo mirum! Si Deus ecclesiae suae emulos, siue hostes, quibus cum certet, assignat sedulos castitatis eiusqu omnis sanctimoniae uel custodes, uel exactores? Deus enim sapientia sua quos diligit illos et corripit. Nonne scripta res est: Sodomae peccatum, ocium et abundanciam panis fuisse? Dauid quamdiu tribulatus est non peccauit; in pace uero positus, grauiter deliquit. Et populus postquam commedit et bibit surrexit ludere, qui prius fame laborans oracioni uacabat. Seruiendum ergo Domino est semper cum timore, et exultandum cum tremore, nec de se cuicquam praesummendum. 'Quid enim habes – ut praedicat Paulus – quod non accepisti?[32] Humiliamini ergo sub manu potentis

[31] Cf. 1 Cor. 9,22–11,22.
[32] 1 Cor. 4,7.

Dei, apprehendite disciplinam, et nolite abicere eam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de uia iusta.[33] Iratum siquidem Deum procul dubio illi cogita: cui cuncta ex uoto fluxerint. Nam iuxta praeclaram illam Demetrij sentenciam: Nihil uidetur infelicius eo, cui nichil unquam euenit aduersi.[34] Male enim – ut inquit Seneca – de illo Deus iudicauit, qui indignus uisus est, a quo aliquando uinceretur fortuna, quae ignauissimum quemque refugit, quasi dicat: Quid igitur istum mihi aduersarium assumam? Statim arma demittet; non opus est in illo tota potencia, leui conmutacione pelletur, non potest sustinere uultum meum. Alius circumspiciendus est, cum quo possimus conferre manum; pudet congredi cum homine uinci parato. Ignominiam indicat gladiatorem cum inferiore componi. Ecce quam constans est gentilis uox. Sed christiani qualis esse debeat illa nempe Citharedi illius diuini: Ego uero in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo est semper.[35] Flagellat preterea Deus deliquentes, ut uerberibus emendati consultius sibi in futurum prospiciant. Nam plerique uix tandem sub flagello se peccasse sentiunt. Afflicti enim Israhelitae a serpentibus ignotis dixerunt ad Moysen: Peccauimus! quare locuti sumus contra Dominum, et contra te![36] An uero nec peccatum suum recognoscebant, nec diuinum implorabant auxilium; fratres Ioseph locuti sunt ad inuicem: Merito haec patimur! quare peccauimus in fratrem nostrum, et idcirco uenit tribulacio.[37] Et Dauid uidens Dominum propter peccatum elacionis eius iratum humiliter culpam suam recognouit, et petijt, ut ipsemet puniretur, populo autem parceretur, eiulans et dicens: ego sum qui peccaui; ego inique egi; isti qui homines sunt quid fecerunt? Auertatur obsecro furor tuus, Domine, a populo tuo.

Vtile namque, ut docet Augustinus, superbis est incidere in aliquod apertum manifestumque peccatum. Vnde sibi displiceant, quae sibi placendo considerant. Salubrius enim sibi Petrus displicuit quando fleuit, sibi placuit quando presumpsit.[38] Hoc est quod dicit sacer psalmista: Imple facies

---

[33] Ps. 2,12.

[34] Et alibi: *Nihil,* inquit, *eo videtur infelicius cui nihil unquam evenit adversi.* Auctor incertus (Maximus Taurinensis?) / Auctor incertus (Hieronymus Stridonensis?), col. 931C.

[35] Ps. 37,18.

[36] Num. 21,7.

[37] Genes. 42,21.

[38] Et audeo dicere, superbis esse utile cadere inaliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando praesumpsit. S. Aurelii Augustini Hipponensis episcopi *Ad Marcellinum de civitate Dei contra paganos Libri viginti duo,* lib. XIV, 13, col. 422.

eorum ignominia et quaerent nomen tuum, Domine.[39] Periculum quippe in se fecerat, qui plagis emendatus Domino seruire didicerat; propterea gracias agens, decantabat: Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas,[40] quia ut scriptum est: uexacio dat intellectum.[41] Hinc illa uox celestis ad superbum regem, seque Omnipotenti aequantem ruit, dicens: Tibi dicitur, rex Nabucodonosor, regnum tuum transit a te, et ab hominibus eicient te, et cum bestijs atque feris erit habitacio tua; fenum quasi bos comedes, et septem tempora commutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno omni, et cuicumque uoluerit det illud;[42] quae singula cum completa essent, quam humilis, quam mansuetus, quam Deo subiectus, et in lege ipsius fuit eruditus audiamus. Ego – inquit Nabucodonosor – oculos meos ad coelum leuaui, et sensus meus redditus est michi, et Altissimum benedixi, et omnipotentem in sempiternum laudaui ac glorificaui, quare potestas eius, potestas sempiterna, et regnum eius in omnem generacionem; et cuncti habitatores terrae apud illum in nihilum reputati sunt; iuxta enim uoluntatem suam facit tam in uirtutibus coeli, quam in habitatoribus terrae, et non est qui resistat manui eius et dicat ei: quare fecisti?[43] Et concludit dicens: Igitur ego Nabucodonosor laudo, magnifico et glorifico regem coeli, quia omnia opera eius uera, et uiae eius iudicia, et gradientes in superbia potest humiliare.[44] Ecce flagellatus quia respiscit, qui in delicijs positus adeo superbiendo delirauerauerat, ut statuae suae uniuersos populos diuinos exhibere honores compelleret, et cum esset fetidum lutum sese Deo agnoscere, iratus in illos pueros gloriosissimos, qui demencie eius morem gerere contemnebat, toruo uultu clamitabat: quis est deus qui eruat vos de manu mea? quorum populus domini flagris et calamitatibus diuersis est coactus diuinam resumere disciplinam, et idola relinquendo deum sequi ducem? Est enim adeo peruicax ingenium, ut nisi adhibitis tormentis, aut ueritatem extorquere, aut a malis prohibere nequeas, quibus monet Salomon frequencius, plagas infligere, qui parcit – inquit – uirgae, odit filium suum. Quam ob rem Deus misericors ex filijs suis, quos delinquere conspicit erga eos uirgam assumere non retardat; quam ut senseris, mox reatum recognosce, et cum psalmista prostratus exclama: Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, qu-

[39] Ps. 82,17.
[40] Ps. 118,71.
[41] Isaia. 28,19.
[42] Dan. 4,20–22.
[43] Dan. 4,31–33.
[44] Dan. 4,34.

oniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper;[45] propicio enim flagellatur Deo, qui sub uerberibus non induratur, hos enim castigans, castigat Dominus, at morti non tradit. Nam Ipse prior pollicitus est: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur et uiuat.[46] Magnae quippe misericordiae Dei est non sinere peccatores cuncta … agere, sed confestim potest delictum sumere penas, etenim etiam reprobis diem ultimum expectat, ut cum ad fundum peccatorum perueniunt, grauius in eos statuat; consueuit enim quanto serius, tanto ulcisci grauius. Nam quosdam ob perpetuam eorum immanitatem impietatemque aeternis deprecatos supplicijs facit in hac mortalitate futurorum malorum praegustare acerbitatem, ut Antiochum, et Herodem, quorum uterque missis excruciatus doloribus laeteum fetorem et uermes accerbissimos in hac uita praegustauit. Sic Sodomitae sulphureos inferni ignes, quibus perpetuo cruciandi sunt, uiuentes senserunt. Sic Pharaho caliginosas tenebras, ardorem, uermes et alia flagella, quibus torquendus a demonibus erat, in carne expertus est. Sic rex Asuerus uniuersas pene tartari acerbitates in carne sustinuit, quas erat post mortem sempiternis legibus passurus, cuius peccatum narrat Dominus per Ysaiam dicens: Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim in fortitudine manus: ego feci, et in sapiencia mea intellexi, et abstuli terminos populorum et caetera.[47] Idcirco iratus Dominus arguens stulticiam eius, et reprobans inanitatem ait: Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? quomodo si eleuetur uirga contra eleuantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est,[48] ob hoc subiungit propheta poenam dicens: Propter hoc mittet Dominus dominator exercitum in pinguibus eius tenuitatem, et subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis, et erit lumen Israel in igne, et sanctus eius in flamma, et succendetur et deuorabitur eius spina, et uepres in die una, et gloria saltus eius, et cameli eius, ab anima usque ad carnem consumetur, et erit terrore profugus, et reliquiae ligni, saltus eius prae paucitate numerabuntur, et puer scribet eos.[49] Huius amenciam pulchre arguit Hyeronimus.[50] O stultissime – ait – mortalium, Dei iram, tuam putas esse sapientiam, et illius iussionem ad tuam

[45] Ps. 50,3.
[46] Ezech. 33,11.
[47] Isai. 10,12–13.
[48] Isai. 10,15.
[49] Isai. 10,16–19.
[50] S. Eusebii Hieronymi Stridonensis presbyteri *Commentariorum in Isaiam prophetam libri duodeviginti.* Lib. 3, col. 138.

refers fortitudinem, quom si securis glorietur contra eum, qui securim tenet, et serra contra eum a quo trahitur opera cuncta quae per securim et serram fiunt, sua se arte perfecta, et si eleuet quispiam uirgam, et exaltet baculum cum potencia ad percuciendum, quem uoluerit et ipsa uirga et baculus glorietur et dicant a se percussum esse, qui percussus est, et sic tu cum organum Dei fueris uoluntatis erigeris in superbiam et cuncta, quae geruntur, tuae gloriaris fuisse uirtutis.[51] Hinc admonentur duces ac principes terrarum, ne partos triumphos et reportatas ex hoste uictorias propriae ascribant uirtuti, sed cuncta pocius uoluntati Dei tribuant, qui nouit multitudinem copiosam in paucorum concludere manu. Facit enim multorum amencia, et praecipue eorum, qui sibi diuinos usurpant honores, iram Dei ante peractam uitam in se deseuire, quo exemplum stulticiae suae cunctis edant. Hij sunt de quibus Dominus dicit: 'Ignis succensus est in furore, et ardebit usque ad inferni nouissima'.[52] Contra hos et Hyeremias grauem illam maledictionem imprecatur: 'Duplici contricione conterere eos, Domine'.[53] Id est, ut et praesentem missam transigant uitam, et futuram aeternis defleant supplicijs. Sed hic forsan instabit aliquis, cum scriptum est: 'Deus non punit bis in idipsum' quomodo ergo hoc stabit, si tamen ob unam noxam peccatores, et praesentibus et futuris affligerentur flagris? Cuius contrarium et Hyeronimus sensisse uidetur, qui illam Ieremiae tractans imprecationem ait: Quare genus humanum diluuio, Sodomitas igne; Aegipcios mari, Israelitas in heremo perdidit. Scitote igitur ideo temporaliter pro peccatis punisse, ne in aeternum puniret. Quare non uindicabit Deus bis in idipsum, qui ergo puniti sunt postea non punientur, alioquin mentiretur Scriptura, quod dicere nephas est.[54]

---

[51] »O stultissime mortalium, Dei iram, tuam putas esse sapientiam, et illius jussionem ad tuam refers fortitudinem? Quomodo si securis glorietur contra eum qui securim tenet, et serra contra illum a quo trahitur, et dicant, cuncta opera quae per securim et serram fiunt, sua arte perfecta. Et si elevet quispiam virgam, et exaltet baculum ad percutiendum quem voluerit, et ipsa virga ac baculus glorientur, et dicant a se percussum esse qui percussus est: sic et tu cum organum Dei fueris voluntatis, erigeris in superbiam, et cuncta quae geruntur, tuae gloriaris esse virtutis.« S. Eusebii Hieronymi Stridonensis presbyteri *Commentariorum in Isaiam prophetam libri duodeviginti,* lib. IV, col. 138D.

[52] Deut. 32,22; Jerem. 15,14.

[53] Jerem. 17,18.

[54] »Ait enim: Quod genus humanum diluvio, Sodomitas igne, Aegyptios mari, et Israelitas in eremo perdidit, scitote ideo temporaliter pro peccatis punisse, ne in aeternum puniret, quia *non judicabit Deus bis in idipsum.* Qui ergo puniti sunt, postea non punientur; alioquin mentitur Scriptura, quod nephas est dicere.« Petri Lombardi Novariensis cognomine Magistri Sententiarum, episcopi Parisiensis, *Sententiarum libri quatuor,* Distinctio XV. quod pluribus irretitus peccatis non potest poenitere de uno vere, nisi de omnibus poeniteat, col. 873.

Caeterum hoc de illis dumtaxat intelligere monet Lumbardus, qui inter ipsa flagella paenitenciam egerunt, quam utique Deus uel tenuem aut momentaneam, tamen non aspernatur, quod uero hij qui temporalibus non emendantur uerberibus, aeternis excrucientur tormentis. Idem ipse Hyeronimus auctor est. Nam mox fere intulit, quaeret hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decoletur: quid de eo postea fuit? aut enim punietur, et falsum est, quod dicitur non iudicabit Deus bis in id ipsum, aut non punietur, et optandum erit adulteris, ut hic breui poena puniantur, ne trucidentur in aeternos cruciatus. Ad quod respondemus Deum ut omnium rerum ita suppliciorum quoque scire mensuram, et non praeueniri sentenciam iudicis nec illi in peccatorem extendi; dehinc paene auferri potestatem, et magnum peccatum magnis diurnisque lui cruciatibus. Si quis uero punitus sit, ut ille qui Israelitae maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri, quia culpa leuis praesenti supplicio conpensata sit. Leuis enim culpa leui supplicio conpensatur; ex quo homines terrenum iudicem in plectendis reis, non posse caelestis iudicis praeuenire sententiam, nec sumpto supplicio diuinam aut prohibere, aut temperare ulcionem, quam tamen ab ipso fonte posse preueniri ipse indulsit misericors. Nam pollicitus est: 'In quacumque hora ingemuerit peccator dimittetur ei, et peccatorum eius non recordari amplius;[55] quod intelligens Psalmista decantabat: Dixi: confitebor aduersum me peccata mea, et tu remisisti impietatem cordis mei.[56] Talis enim, ut inquit Chrisostomus, talis est, michi crede, erga homines pietas Dei: nunquam spernit paenitenciam, si ei sincere et simpliciter offeratur, et si ad summum quis perueniat malorum, et inde tamen uelit reuerti ad uirtutis uiam suscipit, libenter amplectitur, facit omnia quatenus ad priorem reuocet statum.[57] Quodque adhuc est praestancius et eminencius et si non potuerit quis explere omnem satisfaciendi modum, quantulamcumque tamen, et quolibet breui tempore gestam non respuit paenitenciam, suscipit etiam ipsam, nec patitur quis ex igne conuersionis perdere mercedem.

Attende ergo diligencius, o peccator, et quocumque in statu peccatorum, uel grauissimo, et in maximis deprehensus sceleribus, non tardes in

---

55 Hebr. 10,17.

56 Ps. 31,5.

57 Item Joannes Chrysostomus, de Reparatione lapsi: Talis, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit poenitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur, etiamsi ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam; suscipit libenter et amplectitur, et facit omnia quatenus ad priorem revocet statum. Petri Lombardi Novariensis cognomine Magistri Sententiarum, episcopi Parisiensis, *Sententiarum libri quatuor,* col. 872.

ipso uel iudicis, uel tyrannorum potentia neo supplicio ad Deum tuum corde saltem reuerti, et temporanea supplicia animi commutari contricione. Nempe tibi soli datum est Dei depellere iram. Nec iudicis seueritas, nec tyranni immanitas, nec – quod mirabile dictu est – ullo tormentorum genere ipse potest praeueniri Deus. Stabilitum enim et perpetuo sanctitum est consilio: non dimitti peccata nisi paenitentibus. Nonne iudices ex latronibus paenitentem ex cruce, quam ob scelera paciebatur, ad aeternas mitti delicias? non paenitenti autem ad temporalia sempiterna adiecta esse supplicia? Praedixerat siquidem Dominus et ad uesperum in uineam Domini Sabaot ad opus accedentem felicem illum suscepturum denarium, et non uigilantes uirgines a talamo sponsi exclusas; nec queri poteris te bis punitum. Nam coeptis in hac uita poenis in perpetuum affligendus eris; unaque poena in praesenti incepta uita in futura sine fine perseuerabit. Sed de hijs hactenus.

Nunc ad illud ueniamus omni sane admiracione dignum, quod quinto proposuimus loco: Deum uidelicet immitis etiam hominibus: non propter augumenta uirtutum, non propter exercicium, non propter correpcionem, non propter damnacionem, sed ob solam gloriam suae manifestacionis multa inducere mala, et in noxiorum malo suam ostentare potenciam. Ob hoc namque caecum illum discipulis natum esse respondit, quod Augustinus admiratus de correctione et gracia disputando: Mirum est – inquit – unum, quod filios quorundam amicorum suorum, hoc est reconatorum bonorumque fidelium sine baptismo hic paruulos existentes, quibus utique si uellet huiusmodi lauacri graciam procuraret, in cuius potestate sunt omnia, alienat a regno suo, in quod parentes mittit illorum; et quosdam filios inimicorum suorum facit in manus christianorum uenire, et per lauacrum introduci in regnum, a quo eorum parentes alieni sunt; cum et illis malum, et istis bonum meritum nullum sit paruulis ex eorum propria uoluntate, sed hoc absoluens quid inquit audiamus. Certe – ait – haec iudicia Dei, quum iusta et alta sunt, nec uituperari possunt, nec penetrari.

De hoc eodem cum de bono perseueranciae discetur. Non – inquit – fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non, cum sit utriusque causa communis, aut res humanas in paruulis non diuina prouidencia, sed fortuitis agi casibus opinabimur; cum mortales racionales uel damnandae uel liberandae sunt animae; quandoquidem nec passer cadit in terram sine uoluntate Patris nostri.[58] Aut parentum negligenciae tribuendum est, quod paruuli sine baptismo moriuntur, ut nihil ibi agant diuina iudicia. Quid di-

[58] Matth. 10,29.

cam? quia paruulus aliquando ante baptisma expirat etiam festinantibus parentibus, et paratis ministris, ut paruulus baptisetur, Deo tamen uolente non datur. Qui paululum in hac uita non tenuit ut daretur, quid est quod aliquando paruulis infidelium filijs potuit, ne irent in perdicionem, et filijs fidelium non potuit baptismate subueniri? Ubi certe ostenditur, quod personarum apud Deum non sit accepcio.[59] Alioquin electorum suorum magis quam inimicorum filios liberaret. Rursum et de libero arbitrio loquens aliquando ait: Filijs infidelium paratur haec gracia. Cum occulta Dei prouidencia in manus priorum quoquomodocumque perueniunt; aliquando fidelium filij non ea consecuntur, aliquando impedimento existenti, ne periclitantibus subueniri fuerint; uere ista praeocculta Dei prouidencia est, cuius inuestigabilia sunt iudicia, et inuestigabiles uiae eius.[60]

Sed quid ego uermiculus de huiusmodi diuinis respondebo mysterijs, postquam tantus talisque uir titubat et hesitat? Nempe cum Paulo exclamabo: O altitudo diuiciarum sapienciae et scienciae Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius et inuestigabiles uiae eius.[61] Videmus pueros innocuos; alios nasci claudos, quosdam caecos, nonnullos mancos, monstruosos, leprosos, impetigine laborantes, et alijs plerisque affectos malis. Num illis parentum, aut originalis culpae noxam obiciemus? Sed quid de nobis respondebimus, aut de multis infidelium filijs? qui integris membris et perfectis nascimur lineamentis, quibus eadem crimina impingi possunt, et grauia. Haec esse uidet, et tamen uas figulo non audet dicere: cur ita sum formatum? Est enim in ipsis positum arbitrio, quod quali forma producat, ac pro libito suo de luto disponat. Illud tamen unum audeo affirmare, opificem nostrum numquam consuescere, nisi ad maiora commoda mala inducere. Si quidem caeci illis nati factum et ipsi caeco, et multis alijs occasio sempiterni luminis extitit, et pueri absque baptismate decedentes plerosque parentes solicitos ad quaerendam lauacri graciam effecerunt. Constantino gracia salutaris fuit illa leprae percussio? et breuiter nullum adeo graue malum fuit, quin ex ipso multo maius elliciatur bonum. Callet enim oppido sapientissimus Artifex ex spinis rosas colligere. Quantos enim grauia exempla in Antiochum, Herodem, Neronemque diuinitus edita a crudelitate sanguinis humani prohibuerunt? quantos plaga Adamchore, Datan, Abiron, Mariae sororis Moysi ab inuidia temperauit? quantos in regem Naboth Iezi, Simonem, Ananiam,

---

[59] 2 Par. 19,7.
[60] Rom. 11,33.
[61] Rom. 11,33.

et Saphiram uxorem eius animaduersio, aliena non modo non rapere, sed sua quoque auidius non retinere edocuit? quantos castiores Sodomitarum reddidit incendium? Similiter Amorei, Euei, Iebusei, aliorumque populorum terrae promissionis, quos ob carnalia praecipue flagicia Dominus Moysi delendos repromisit? quantos Babilonis Nabucodonosor regis Asueri flagella humana pocius quam diuina sapienciae monuerunt. Numquam tanto malo pharao cum Egyptijs affectus est, quin et israelico et christiano populo maius inde obuenerit beneficium; neque illud conueniuncius, nisi indurato pharaonis corde fieri potuit. Propterea Moysi iussit Dominus postulare a pharaone populum suum, ut dimittat. 'Ego autem – inquit – indurabo cor eius, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Egipti, et non audiet uos, imittamque manum meam super Egiptum et educam exercitum et populum meum filios Isreal de terra Egipti per iudicia maxima, et scient Egiptij, quia ego sum dominus, qui extenderim manum meam super Egiptum'.[62] Et infra: Ingredere – inquit – ad pharaonem; ego enim induraui cor eius et cor seruorum illius ac faciam signa mea haec in eo et narres in auribus filij tui et nepotum tuorum, quotiens contriuerim Egipcios, et signa mea fecerim in eis, et sciatis quia ego dominus'. Quod si pharao mox Dominicis obtemperasset preceptis, quomodo Dominus populis illis, aut potenciam suam, aut quanti humanum genus faceret, quantumue amaret ostendisset. Sed non oportiut – inquit – Deum meo malo alijs benefacere? et quis tu es, o peccator, qui iustissimo iudici legem imponere audeas? aut ipsius arguere iusticiam? Deus quippe iustus, ut docet Augustinus, gubernans uniuersa nullam poenam sinit inmerito infligi. De quo in libro Retractacionum disserens: Omnis – ait – poena, si iusta est, poena peccati est.[63] Si autem iniusta poena est. Poenam esse nemo amibigit; tamen iusto aliquo dominante homini imposita est. Porro quia de omnipotencia Dei et iusticia dubitare dementis est, iusta haec est pena, et pro peccato aliquo inpenditur. Omne autem iustum a prima iusticia, quae est Deus, est iustum. Et quot Iulianum disputans: Iuliane, – inquit – si non est haec poena peccati, profecto iniqua poena est, et iniustum facis Deum,

[62] Exod. 7,3–5.

[63] »Quod non videtur, cum omnis poena peccati justa sit. Unde Augustinus in lib. *Retractationum:* Omnis poena peccati justa est, et supplicium nominatur. Si ergo peccatum quod est peccatum et poena peccati, in quantum peccatum est, poena peccati est.« [(Lib. De liber. Arbitrio, c. 18.)]; Petri Lombardi Novariensis cognomine Magistri Sententiarum, episcopi Parisiensis, *Sententiarum libri quatuor,* Distinctio XXXVI. Quod quaedam simul sunt peccata et poena peccati; quaedam peccata et causa peccati, alia vero peccata, et causa, et poena peccati, 2.

quo iubente infertur, aut infirmum, quo non auertente infligitur innocenti. Et alibi: Quicquid hoc accidit contra uoluntatem nostram, noueritis non accidere nisi de uoluntate Dei, et de ipsius prouidencia, nutu et legibus, et si non intelleximus, quid gracia fiat, demus hoc prouidenciae ipsius, quia non sit sine causa, et non blasfemus, omnia enim quae uanis uidentur in rerum natura temere fieri non fiunt sine iussu eius. Deus namque, ut pulchre docet Hyeronimus, uarie genus dispensat humanum: nunc punit, nunc miseretur, nunc corripit, nunc defendit, nunc arat, nunc serit, nunc maturas fruges metit, et diuisas in areis territ, orbemque suum gubernat, ut uoluit.[64]

Caue igitur ne tuum diuino praeferas consilium, putesque ipsum quicquam iniuste facere. Nam, ut Boecius ait: De hoc quid tu iustissime putas, omnia scienti prouidenciae diuersum uidetur. Vnde et quaedam causa uicta in bello placuit dijs, non Catoni, tanquam iusta; uicta uero Catoni non dijs, sicut testatur Lucanus, sed exposiciam Cathonis reprobat statim dicens: Igitur quitquid (sic!) uideas contra spem geri rebus quidem rectis ordo est, opinioni uero tuae peruersa confusio. Sed quid in tanta rerum uarietate agendum est? Dauiticum profecto sequendum consilium, confitendum uidelicet Domino in chitara, et in psalterio decem cordarum psallendum illi.[65] Nam chitara, ut Pater, nulla nec excellencior est, nec illustrior, quae prodesse quamplurimis, ac beneficium in omne genus hominum generose conferre. Posse enim prodesse laudabile est atque optandum. Velle autem cum possis etiam gloriosum. Hac enim una re homines ad diuinam potenciam quam proxime mihi uidentur accedere, ut in supremo dignitatis gradu collocati, iacentes attollere, calamitosos erigere, inopes ditare, diuites ipsos, et opulentos diciores facere sua liberalitate ac munificencia possit.

Hij sunt, quos intuemur, quos ueneramur, quos supra homines merito esse dicimus. Caeterum, beatissime pater, ego puer ac paene infans, cum ardenter sitiam studia ac litteras, nec paternae mihi sufficiant facultates, ad pedem uestrae benignitatis humiliter confugio, orans atque supplicans, ut in hoc laudandi desiderio meo suscipere me dignemini commendatum.

Priredio: *Serafin Hrkać*

---

[64] Deus varie genus dispensat humanum, nunc punit, nunc miseretur: nunc corripit, nunc defendit; id est, nunc arat, nunc serit, nunc maturas fruges metit, et demessas in areis terit, orbemque suum gubernat ut voluerit. S. Eusebii Hieronymi Stridonensis presbyteri *Commentariorum in Isaiam prophetam libri duodeviginti,* lib. IX, col. 326D.

[65] Ps. 150,3.